

Q. D. B. I.
ANNONA AVGG.

II c
1272

Sive
DISSERTATIO DE ANNONA
sub Imperatoribus Romanis.

13
X1860564

De qua
In Inclita Argentoratensi Academia
SOLENNI congressu Eruditorum
PRÆSIDE

JOANNE HENRICO BOECLERO
Historiar. Prof. Ord. & Coll. Ph. h. t. Decano

Respondebit
GEORGIUS HEINTZ Hamburgensis,
Die 15 Maii
Horis locoque & statim.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIA



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

ARGENTORATI
Typis imprimebat JOHANNES Pichel/ Anno M. DC. LXII



ANNONA AVGG

DISSERTATIO DE ANNONA

sub Imperatoribus Romanis

In Institut. A. Gottorpon. Academiæ

JOHANNES HENRICUS BOECKH

Historiar. Prof. Ord. Coll. Phil. D. C.

GEORGII HEINTZ HANNOVERÆ

MDCCCLXXII

Verlag von J. Neumann, Neudamm





Pereximio

HEINTZIO SUO,

*Iterum cathedram Academicam bonis omnibus
conscensuro, Feliciter!*

STrenuus ad palmæ dum cursu tendis honores,
Atque auges titulis præmia parta nouis,
Rem facis ingenio dignam ad sublimia nato,
Et generis properas congeminare decus.
Gaudet, & in nostro mentemque oculosque Lycéo
Figit MEIERVS, sat scio, Lipsiæ honos.
Nec BOS I defunt, nec defunt vota STEGERI,
Quæ mecum impense nomina clara colis.
Et faciet DEVS, vt gaudendi semper amicis
Materies, HEINTZI, nobilis esse velis.

Amicitia causa scr.

Jo. Henricus Boeclerus,
Collegii Philos. h. t. De-
canus.

I.N.I.C.





1720

HEINZIO SUO

Exemplum
Litterarum

Strenuissimus et potentissimus Dominus
Apostolicissimus Princeps, Patris Nobis
Remissis insignibus et honorabilibus
et generosis proceribus conscribitur deus
Gaudet, quia nostro mentatione conlato
Sicut Miras et Jactio, Ligne honore
Nec B o s i d i n e n e d e d i n t v o s s t e c e r a
Goz mecum in opente nomina claris collis
Facies D e v a, v i g a n d e n d i s e m p e r a n d i s
M o n i t o, H e r e n x, n o b i l i t e r v e l i s

Amicitia causa

Jo. Henricus Bocherus

Collegii Philol. h. r. Do.

1720

INIC





I. N. I. C.



DE Annonæ administratione, sub
Imperatoribus Romanis, ad colloquium con-
gressumque Academicum, consignare aliqua
fert animus. Nec morabimur diu in nomine,
quo omnis fructus annuus, siue proventus signi-
ficatur. *Annona* enim, copiam anni notabat: &
si adiectiuum ab initio fuit, quod nonnulli eruditorum suspican-
tur, refertur ad *copiam*, quæ vox postea subaudiri cœpit, donec, ut
in multis factum, fulcro obliuioni tradito, *annonæ* per se subsiste-
ret. Hinc *annonæ amicorum*, apud *Horatium*; *annonæ veneni*, apud ^{lib. 1. ep. 12.}
Iuuenalem, nihil aliud quàm *copiam eius rei* indicat. Nugæ sunt apud ^{Sat. 9. v. 100.}
Isidorum: *Annonæ tractum est à tempore, quo Romani veteres ad cibos* ^{lib. 20. c. 2.}
advocabantur, sicut Martialis:

Imperat excelsos frangere nona toros.

A Nonis deducit vocem *Suidas*; quod eo die mensis *annonæ* distri-
bueretur. quam rationem non aspernantur *Torrentius* ad *Suetonium*,
& *Adolphus Occo* in *Numis* aliquoties. Sed *Lipsius* in *Electis* ridet. *Ulus*
autem obtinuit, ut de omni alimentorum & victus genere, & in
primis quasi propter excellentiam quandam, de frumento & re
frumentaria, *Annonæ* acciperetur. *Græci* quoque posteriores
vsurparunt vocem. In *Procopii ἀνεκδότοις ἀνωώνων* restituit *Nicolaus* ^{v. Not. p. 99}
Alemannus, ubi *σωνών* corrupte legebatur. Apud *Suidam* reperies: ^{100.}
ἀνωώνων μελακομιδὴ ἢ δὲ λέξις ῥωμαϊκὴ. Annonarum vectura. est autem
vox Romana. In *Basilicis ἀνώωνων* scribuntur. *Annonæ* autem (refero ^{ad Lamprid.}
verba *Salmasii*) numero singulari cum dicitur, frumentum significat, & ^{Alex. Sev. p.}
vinum & oleum & carnem & caprum, & alias eiuscemodi cellarienses ^{226.}
species. vide fit. Cod. Theodos. de erogatione militaris annonæ. Annonæ
vero multitudinis numero enuntiata panes tantum significant. Quæ an-
notatio id dicit, quod sæpe fit, non id, quod semper. In illo ipso
utique titulo Cod. Theod. l. 20 & 29, annonæ non solos panes notant.
Et in Codice Iustiniano, annonas itidem explicat Cuiacius, panem, vi-

A

Paratit. ad Cod.
de annonis &
cap. administr

lib. 3. c. 13.

num, oleum, liquamen, laridum, & cetera, quibus vitam toleramus. Nec reprehendendus videtur Lipsius, qui in Militia Romana, annonam pro toto stipendio militum, ἡλικία στρατιωτικῶν, non solis panibus utique constante, accipi interdum, docet. Non potest fieri, quin subinde in hac dissertatione attingamus ea, quæ quocunque modo ad annonam pertinent; præcipue tamen ad rem frumentariam, quæ dicentur, volumus referri.

4 M. 18.
15. 436.

Omni cœtui, qui in ciuilem societatem coit, propositum est, atque adeo esse debet, vt singuli non tantum viuant, sed beneficio huius coniunctionis bene viuant ac feliciter, quod sine copia rerum necessariarum fieri nequit. Annona inter ea est, sine quibus ne viui quidem potest. Hinc vel toti ciuitati, vel qui eius regendæ onus suscipere, inter præcipua curarum naturaliter est, vt res omnibus & singulis tam necessaria non tantum in promptu sit, sed ita dispensetur, suppleatur, denique administreretur, sicut modus, ordo, ratio vtendi fruendique, sociali vitæ conueniens postulat. Et quamquam vulgus alias vix communis salutis cura, præ rerum priuatarum studio, tangitur: annonæ tamen in republica & necessitatem agnoscit, & parabilem copiam expetit, atque adeo ab iis, qui publica moderantur, exigit. *Vulgo vna ex republica annonæ cura, inquit Tacitus. Annona salua, ceteras fere rationes seruandæ tuendæque aut ornandæ reipublicæ negligit: exprobrante Atheniensibus Demosthene, in quarta contra Philippum: εἰ τοίνυν τὸ πρὸς ὀνίων πλεῖστον ὀρῶντες, καὶ τὴν δεινείαν τὴν κατὰ τὴν ἀρετὴν πάτοις κακίλιθε, ὡς ἐν ἔδωι δὴνὼ τῆς πόλεως ἔσῃς ἢ τε παροικίως, ἢ τ' ὀρῶντες τὸ πρῶγμα κείνεται.* Quando igitur rerum ventalium copiam & annonæ in foro vbertatem intuentes, ita acquiescitis animo, vt nihil de ciuitatis discrimine cogitandum existimatis, neque recte, neque vix par est, de re tota iudicatis. Igitur Principes Romani, non modo, vt inter laudes boni regiminis, sed vt inter præsidia securitatis pacisque, annonæ curam sibi suscipiendam censuerunt. Hanc curam, inquit Tiberius, sustinet Princeps: hæc ommissa funditus rempublicam trahet. Et inter munera, quæ Principes Romani saculo præstare consueuerunt, Symmachus, affluentiam annonæ ponit.

Tac. 3. 436.

lib. 10. ep. 31
& 48.

Appian. 1 B.C.
vidi. Lips. Elect.
3, 13.

Cum enim agriculturæ studium, inualecente luxuræ desidia, ommitteretur per Italiam, ingenuisque & honestis cultoribus, catenata seruorum turba succederet, externis magis, quàm domesticis præsi-

3.

præsidii annonæ Romana nitebatur, subuecto aliunde frumento. Quæ res periculis obnoxia fuit, vel ob tempestates, vel ob alia an- Nov. ad Vellei.
2194.
nonæ maturius aut copiosius comparandæ obstacula. Tanti impe-
rii tam florentibus temporibus ista labes fuit, quod Italia externæ
opis indigebat, quod vita populi Romani per incerta maris & tempesta-
sum quotidie voluebatur, quod prouinciarum copia & dominis & seruitiis
& agris subueniebant, intentius ista considerante Tiberio apud Tacit- 3. A. 54.
um. At hercule olim ex Italia regionibus longinquas in prouincias com-
meatus porebant, nec postea infecunditate laborabatur: sed Africam
potius & Ægyptum exercebant, nauibusque & casibus vita populi Romani
permissa est, sicut iterum Tacitus testatur. Periculo autem famis, facile 12. A. 41.
ad seditionem vulgus consternatur. Quo metu Pompeio, de confi-
lio Ciceronis, annonæ demandata cura, non minus addidit gloria, quam
pulsus ambitus campo, exactus hostis mari, Oriens triumphis Occidensque
lustratus, prædicante Plinio. Sed Augusto perfecti operis debetur Panegy. 20.
addo. Cassiodr.
6, 18.
gloria. Is cum nomine Principis cuncta sub imperium accepisset, ut
omnis boni exempli, ita huius in republica prouisionis annonariæ
solleatissimus auctor fuit. Non simplex illi eius curæ consilium, vel
ad instrumenta vitæ ciuilibus, vel ad blandimenta noui status. quod
non præteritum arcanorum Principalium scrutatori vnico, & pro- Tac. l. A. 2.
ditori laudatissimo.

Ad hoc exemplum, optimus quisque Principum serio, ceteri
veluti tradito more, tanquam aliquod boni imperii specimen edi-
turi, gaudebant conformari. Annona certe Augusti & Augustorum,
inter sollempnia, quibus laudes Principum Romanorum in numis
consecrabantur, elogia speciose eminet. Possis fortasse, hanc cu-
ram vere Principalem etiam titulo *Annonæ Augustæ* dedicare, quam-
quam exemplum hætenus non reperi; sed ad similitudinem eius
formulæ, qua SPES AVGVSTA apud Guilielmum Brassicanum in nu- pag. 29.
mis Hadriani, PIETAS AVGVSTA apud Occonem, QUIES AVGVSTA In Tit. V. C.
830. p. 164.
apud Goltzium dicitur in numis. Et Augustam pacem dixerat Ouidius, lib. 2. de Pont.
eleg. 5.
& post eum Velleius. Ceterum ANNONA AVG. aut AVGG. ita dice- Hist. 2. 126.
batur, ut Virtus Augusti, Fortuna Augusti, Felicitas Aug. Æquitas Aug.
Liberalitas Aug. Securitas Aug. Vbertas Aug. Prouidentia Aug. Moneta
Aug. Salus Aug. Iustitia Aug. Indulgentia Aug. Clementia Aug. Concordia
Aug. f. Augg. Ceres Aug. quæ cum Annona Aug. congruens, interdum
conjungebatur. Talis est, numus Neronis: ANNONA AVG. CERES.

A 2

S. C

V.C. 816. p. 322.
V.C. 849 p. 189

4.
S. C. apud *Occōnem*. sicut in alio Neruæ numo *Annona* & *Ceres* sese mutuo aspiciunt. *Annona* porro figura tanquam *Dea*, cornu copiae plerumq; sinistra, dextra spicas, easque vario gestu, papauere etiam intermixto, tenebat: additis diuersis tanquam insignibus, modio frumenti, canistro, panario, naue, scapha, ancōra, gubernaculo, tessera frumentaria, ad formam vsq; J. Quæ & similia, tum *Prouidentiam Principum* in comparanda colligendaque *annonā*, tum *Felicitatem* eorundem in conseruanda & cumulanda, denique *Liberalitatem* iuxta dispensanda, celebrare voluerunt. Quin ipsa illa laudum Principalium nomina, *Prouidentia*, *Fortuna*, *Bonus Eventus*, *Liberalitas*, *Fides Augg.* symbolis & figuris ad *annonam* pertinentibus signabantur: modo ad totum Imperii tempus, modo ad certos & fertiles felicesque annos, nunc ad *Consulatus* honorem, nunc ad *Optimi Principis* cognomen accommodandis. In *Augustarum* quoque ornamenta, vt alia Principalis meriti *Dearumque* variarum insignia, ita *Cereris* & *Annonæ* habitus ac beneficia cedere.

Dio Cassius lib.
54. princ.
Tib. 8.
2, 94.
Elect. 1, 8.

Curæ autem vere Principalis primordia ab Augusto, vt diximus, repetenda sunt. Quæ enim ante Principum tempora constituta ac prouisa sunt, nunc non attingimus. Augustum ergo, vt curam *annonæ*, extra ordinem susciperet, flagitatio populi adegit anno V.C. DCC XXXII. Causa inopiæ, pestis: quæ agriculturæ intercessit. Extra ordinem, dixi, exemplo Pompeii, quod in ore habebat populus. ὀπίμειλντι τὸ ὄπτις curatore frumenti historicus vocat. Sicut postea Tiberius curam administrationis *annonæ*, quæ arctior inciderat, vt Suetonius, siue maximam difficultatem *annonæ* & rei frumentariæ inopiam, *Ostia* atque in vrbe mandato vitrici moderatus est, vt Velleius memorat. Vbi frustra puto Lipsium dubitare, an abdicanti Augusto successerit in præfectura Tiberius. Extra ordinem vterque curam *Annonæ* gessit: deponendam scilicet, vt primum ea conualuisset. Non possumus ergo probare eum in *Electis* scribentem, abdicante Augusto, præfectum *Annonæ* fuisse Tiberium. Quod præsertim cum eo, quod eadem pagina sequitur, parum conuenit: Successit, vt opinor, Augusto C. Turranius. Sicut & cetera non satis distingui videntur. Augustum, & huius iussu Tiberium, *Annonæ* extra ordinem præfuisse, nullam idoneam dubitandi causam repereris. Et Augustus quidem eodem anno instituit, vt duo ex prætoris viris, ante quinquennium circiter illo honore perfunctis, singulis annis legerentur, πρὸς τὴν ὄπτις διανομήν, teste

teste Dione Cassio : ad curam frumenti populo diuidendi, dixeris cum lib. 54. pr.
 Suetonio, qui inter noua officia id excogitatum ab Augusto refert. e. 37.
 Casaubono, qui hanc curam sustinebat, alio nomine videtur dictus ad h. e.
 Minutiacurator. Sed nec inscriptio lapidis, quam adfert, id probat;
 nec aliæ inscriptiones (vide opus inscript. Gruter. pag. CLXXIII. I. vbi
 CVRATOR DE MINVCIA. & CCCCVIII. I, vbi CVR. MIN. & CCC
 LXXXI. I. vbi CVR. AQVAR. ET MINIC. & plenius 3. CVRATOR
 AQVARYM ET MINICIAE) hoc potius quam curam in aliis quoque
 regionibus vrbis circa ædificia & eorum vsunt demandari solitam
 ostendunt. adeo vt ne satis quidem constare possit, an quicquam
 de frumento (certe non solo) ad curatorem Minucia pertinuerit.
 Quod enim in nona vrbis regione duplex Minutia (alii Mimitiam
 scripserunt) altera vetus, altera frumentaria dicitur, de ratione huius
 appellationis nihil certi habemus: nisi quod in ea frumentum ven-
 ditum fuisse nonnullis videtur. Nam locum Apuleii Lipsio lauda-
 tum ex libro de mundo libenter ita legerem: alius ad Minuriam fru-
 mentariam venit. pro frumentatum. Vide, an hoc velint, quæ ante-
 cedunt & sequuntur.

Sed ad Augustum redeundum est, qui anno V. C. 736 duobus Dio Cass. lib. 54.
 Lentulis Consulibus instituit, vt qui magistratum gererent singuli
 singulos ex pratoris viris, triennio ante illo honore perfunctis, nomina-
 rent, de quibus quatuor sorte ducti annonam suo quisque loco & ordine
 distribuerent. *ἵνα ὅτι τῆ τῆ σίτου διαδοσὶ ἀρχαίωνται ἢ οἱ ἐν ταῖς ἀρχαῖς ἀεὶ
 ὄντες ἕνα ἕκαστον ἐν τῷ ἀρχαίῳ τεύχῳ ἐστὶν ἐσεγγλησκότων ἢ ἐξ αὐτῶν τῶν ἀρχῶν οἱ
 λαχόντες σποδῆτων ἐν διαδοχῆς.* His binos lictores, & seruos publicos, &
 scribas, & librarios, accensos praconesque, ex Frontino Lipsius tribuit.
 Nondum Praefectum annonae, proprio nomine sic dictum habemus.
 Primū ab Augusto constitutum C. Turranium, cuius Tacitus men-
 tionem facit, Lipsius putat, argumento non satis firmo ex alio Taciti I. 4. 7.
 loco, vbi de alio Turranio agi certum est; sicut & vocem *primum* II. 4. 31.
 non ad officium (rei frumentariae Praefectum) sed ad ordinem, quo
 vocantur à Principe amici, pertinere, ipse in Notis ad illum locum
 agnoscit, & in aliis notis ad Seneca librum de breuitate vitae. Id verum cap. 20.
 est, non alium ante illum ab initio Principatus Tiberiani memora-
 tum Turranium, qui id muneris iam extremo Principatu Augusti
 gesserat, vsquam nominari. Quod autem anno V. C. 732. Praefectus
 frumenti populo Romano diuidendi constitutus sit, frustra & temere

o. 34.
c. 52.

De Imp. Rom.
lib. 5. cap. 13 &
lib. 6. c. 2.

Elc. 1. 18.

Inscr. Græc.

De breuit. vita
18 & 19.

Pl. 13.

De Imp. Rom.
Pl. 20.
lib. 10. ep. 36.
& 48.
add. Inscr. 209.
p. 281.
De cons. phil.
lib. 3. prof. 4.

Plin. 29.

ex Dionis libro supra laudato, & Suetonii Augusto, (vnde solita incuria locus plane à proposito alienus affertur) Iulius Caesar Bulegerus probare conatus est. Ab Augusto interim præfecturam Annonæ primam institutam, tanquam magistratum non temporarium, sed in Republica mansurum, ex priore Taciti loco satis constat: licet de nomine primi præfecti nihil certi habeamus. Id quoque non ambigitur: præfectum annonæ, cum binis illis, & postea quaternis, diuidendo frumento constitutis, confundi non debere. Addo: CURATORES ANNONÆ in lapidibus antiquis, non eosdem videri cum præfecto Annonæ, sicut Lipsius autumat: sed constituta plenius Annonæ cura, distinctos locis, laboribus, gradibus accessisse. Hinc curatorem annonæ ciuilibus, curatorem annonæ plebi præbitæ, & quæ alia sunt discrimina, præsertim in municipiis loco præf. Ann. curatorem annonæ in antiquitate legas.

Proxima est præfecti annonæ descriptio apud Senecam: quod orbis terrarum (ex nota Romanorum *μεγαληροία*) rationes administraret; quod frumenti publicæ rationes norit; quod multa frumenti millia illi committantur; quod cum ventre humano illi negotium sit; quod cures, vt incorruptum à fraude aduehentium & negligentia frumentum transfundatur in horrea, ne concepto humore vitietur & concalescat, vt ad mensuram pondusque respondeat. Et nota, quod de pluribus, quibus erat mandata frumenti cura, temporibus Caligulæ mentionem faciat. siue Præfectum Urbis & Præf. Præt. de quibus subinde, intelligens, siue alios curatores. Desiderat etiam ad hoc munus homines frugalitatis exactæ, & laboriosæ operæ. Cassiodorus in formula præfecti annonæ, & munus eius, circa pistores præsertim ac panes, itemque suarios amplius declarat, & dignitatem eius à carpento Præfecti Urbis, à tribunali & iurisdictione, etiam in prouincias mandata dimittente, magnifice describit. Plura ex Cassiodoro aliisque colligit Bulegerus. Apud Symmachum, Viri Clarissimi honore signatur præfectus annonæ. Quomodo ergo eiusdem sæculi scriptorem Boërium his conciliamus, ita scribentem: Si quis quondam populi curasset annonam, magnus habebatur: nunc eâ præfectura quid abiectius? Quis ferat tam valide suo sæculo contradicentem, nisi figuram & propositum oratoris spectemus? cui in animo existimem fuisse gloriam illam Magni Pompeii, singularis exempli, Plinio dilaudatam, vt ante diximus. cum illa, si conferas præfecturam annonæ, vilescit vtut splendidus,

das, quem & Seneca honorificum ministerium dixit, ordinarius honor obiectu extraordinarii splendoris.

Cum praefertim & Praefectus urbis, & Praefectus Praetorii Annonae curam itidem gesserint. Hinc Symmachus Praefectus urbi Imperatorem Theodosium orat, (ex officio scilicet) ut annonariae rei difficultates expediat: & de olei penuria loquens, cuius rei, inquit, V. C. Praef. annonae, partium suarum diligens executor, Praetoriana amplissima Praefectura, ut ipse asserit, dudum fecit indicium, missu de more Breuibus, quae angustias patefacere conditorum. Ita sub Commodio Imperatore Cleander Praef. Praet. rei annonariae arbitria sibi insolentius trahens, occasionem rerum novandarum inde machinabatur, apud Herodianum: Praefecto annonae Papirio Dionysio per alia consilia inopiam intendente, ut Xiphilinus ex Dione refert. Et Philippus Arabs praefectura praetorii abusus est ad imperium Gordiano eripiendum, cum naues frumentarias auertisset, militesque in ea deduxisset loca, in quibus annonari non posses. teste Capitolino in Gordiano. In Notitia Imperii sub dispositione Viri illustris Praefecti Urbis ponitur etiam Praefectus Annonae: & postea Rationales vinorum, Tribunus fori suarii, Curator Horreorum Galbanorum. Et sub dispositione Viri Illustris Praefecti Praetorio Italiae, numeratur Praefectus Annonae Africa: sicut sub dispositione Praefecti Praetorio Orientis erat Praefectus Annonae Alexandrinae. Ille Carthagini, hic Alexandriae sedem habebat, & officium cuius in Codice utroque fit mentio. Quod mirum non est, cum & in municipiis ac civitatibus, curatores annonae, Sitones & Elzones habuerint officium apparitorum, de quo Pancirollus.

Quamquam autem Praefectus Annonae in urbe sub dispositione Praefecti urbis esset, ut dictum est, separatas tamen habuit apparitiones, quas cum aliis commisceri vetuerunt Imperatores. Apparitores Praefecti annonae, annonarios; Praefecti urbis, urbanianos in Codice Theodosiano dici, annotat Cuiacius. In inscriptione antiqua memoratur Praefectus Annonae Urbis Sacrae cum Iure Gladii. In basi statuae, inter titulos Symmachi legitur: Praefecto Annonae Urbis Romae. Sed quid est Allectus Annonae? sicut C. Valerius appellatur in veteri lapide. Nemo hoc explicavit, quamquam Bulengerus multa de Allectis & Allectura collegerit. An, ut Allecti alias sunt susceptores in suscipiendis vectigalibus occupati, & in rationibus perscribendis, ita Allectus Annonae rationes an-

NONA

lib. 10. p. 30.

lib. 72.

lib. 72.

cap. 89.

De Magistratibus
municipis. l. 12.

lib. 12. c. 1. 59.

Op. Grae. pag.
ccccxxxiii.

p. cccclxxix.

p. cccclxxix.

De Imp. Not.
VI. 43.

De repub. Rom.
lib. 2. cap. ult.
p. 80.

nonarias confecerit, aut ad annonæ curam ab ordinariis annonæ curatoribus, siue annonæ præfecto extra ordinem allectus fuerit? Prius magis placeret, nisi eruditioribus aliter videatur. Nam, quod *Lazius*, rationem appellationis ex alio genere *allectorum* (de quibus agit *lib. 9. cap. 1.*) repetere instituit, eius rei non æque apparet causa & similitudo. Titulares enim illi, ut vocitat, honores ad commoda & iura ex vero honore alias venientia manifesto pertinebant. Quod huc obscurius traxeris. Quid? quod *inscriptio non allectum annonæ* tantum nominat, sed addit *Leg. III. Italic.* Quæ res magis sententiam meam confirmat: operæ & officii, ut in susceptoribus, quibus ob *allecturam fideliter administratam* gratiam relatam legimus, non compendii tantum & tituli, hanc appellationem esse.

l. ult. §. Titius.
D. de pign. act.
De magistr. municip. c. 12.

In Capitol.
Marc. Anton.
p. 83. & Lamprid. Alex.
Sen. p. 208.
adde Bulenger.
de Imp. Rom.
V, 64.
ad Spartian.
Had. pag. 28.
39. 30.

Quæ res nos monet, ut de *Officio* (id est, officialibus ac ministris) *Præfecti annonæ* aliquid annotemus. Et de *lictoribus, accensis, scribis, præconibus* quidem eo minus dubitare possumus, quanto certius est, ut supra vidimus, etiam iis, qui frumento distribuendo ab Augusto destinati erant, hæc ministeria non defuisse; & iurisdictionem præfecto annonæ demandatam, absque his explicari non potuisse. De cetero, ut vocabulorum & ministeriorum facta est accessio, non video rationem, quæ vetet credere, officium præfecti annonæ ita instructum ordinatumque fuisse, ut apud alios non superiores modo, sed æquales & inferiores magistratus in *Notitia Imperii* videmus. *Centurionis ex officio annonæ* mentio fit in *Digestis Scævola*: non quasi is præfuerit toti officio annonæ, quod videtur velle *Pancirollus*, sed apparitoribus quibusdam. Haud dubie enim in officio primus fuit, qui *Princeps officii* dicebatur. *Vnaquaque enim officia suos habuerunt Principes, qui primores & priores & capita officii dicebantur.* — — *Vnus tamen erat, qui proprie Princeps officii dicebatur, tam in Palatinis officiiis, quam in officiiis præsidum & rectorum prouinciarum,* inquit *Salmasius*. Nec *Cornicularium* abfuisse putem, & *Adiutorem, Commentariensem, Ab actis, Numerarios, Subadiuuas, Epistolares, Referendarios, Cohortales,* de quibus *Pancirollus* (in *Not. Imp. utr. pag. 28. & seqq.*) *Bulengerus & Salmasius ad Historiam Augustam* passim, disquirunt. *Frumentarios* autem (sive ita dictos, quod *frumenti publici prosecutionem curarent, sive potius quod annonæ militaris executioni præessent, ut censet Salmasius in prolixa de his dissertatione*) præ,

præfecturæ Prætorianæ paruisse, non est dubitandum. Fuerunt alii frumentarii mensores, de quibus Lipsius. MENSOR FRUMENTI, in veteri inscriptione. Et Frumentarii mercatores. In Gruteriano opere: MERCATORES FRUMENTARI ET OLEARI AFRARI præfecto Annonæ tabulam marmoream posuerunt. In eodem ex auctoritate Imp. loco per curatorem publicorum operum designato templum extruxerunt NEGOTIATORES FRUMENTARI. Et NEGOTIATORIO FRUMENTARIO monumentum positum. De quorum opera subinde intelligetur.

Wolffg. Lazius sub Præfecto annonæ ponit, Notarios Annonæ, Opinatores, Tesserarios, Dardanos. Symmachus Notarii meminit, cui Imperator mandasset in Africa frumentarios commeatu. Et Opinatores quidem Lazius explicat, tanquam opimandæ annonæ intentos. Alii rectius Opinatore[m] scribunt, cuius mentio est apud Symmachum, ubi Iuretus annotat locum Augustini ex epist. 219. & addit: Eo nomine significabatur exactor militaris annonæ, ut in constitutione Arcadii & Honorii in l. 11. de erogat. milit. ann. C. Opinio autem aliquando sumitur de censu vel aestimatione, ut in l. vlt. de præd. & omnib. reb. Nauc. C. ubi agri opinio dicitur. Inde igitur eo sæculo dicti opinatores, quia opinarentur, id est, aestimarent, quanti species adaranda forent. Ad Trebellii Pollionis triginta tyrannos Salmasius ita de his disserit: Opinatores milites erant, qui ad annonam in prouincias mittebantur. Glossæ: opinator, ὁ τῆς σελιωλικῆς ἀνάωνος ἀπαρῆτης. eorum mentio in codice. male magnus Cuiacius opinatores inde dictos opinatur, quod opinionem, id est, censum agri exigerent. imo opinatores, quod probarent spectarentque annonam, quam exigendam habebant. nam opinator idem, quod probator & estimator. Glossæ veteres: opinator, estimator, vel qui conducit aliquid, trutinat & appendit. hæc officium opinatoris quale esset in exigenda militari annonæ plane ostendunt. Tesserarios Lazius interpretatur, qui tesseram militibus diuidebant, hoc est, annonam gratuito datam. Quæ de re etiam Marcellus Donatus ad Tacitum aliquid annotauit. Sed nondum est in expedito illa interpretatio. Dardani siue Dardanarii, inquit amplius Lazius, sub Præfecto annonæ erant, eiusque audiebant dicto. Noli de officio Præfecti annonæ accipere. quis enim hoc dixerit de genere hominum inuiso, aliquando vrbe excluso, rursusque admissio? nisi quod coercitio eorum ad præfectum annonæ spectasse intelligitur. Quæ de re postea.

Elect. 1, 8.

Grut. op
DC XXXI.8.
CCC CXXVI

5.

CXXVIII.

2.
DC XXI.

6.

lib. 2. reipubl.

Rom. c. ult.

lib. 10, ep. 31.

lib. 9. ep. 47.

describit Buler-

gor. de Imp. Ro-

man. V, 41.

pag. 300.

lib. 5 Hist. 25.

B

Vere

Grut. op.
D C XXII.
3.

pag. 336.
de Imp. Rom.
VL 49.
p. D XCIII. 1.
D XVII. II.
D XCL. 1.
u. Buleng. ce.
officib. III, 25.
ad Marcell. 17.
p. 144.

Vere ad Officium Præfecti annonæ pertinet, qui in monumento antiquo memoratur, ADIVTOR PRÆFECTI ANNONÆ. Quos & Adiuuas dictos, Salmasius ad Trebellium Pollionem rotat. Vnde Subadiuue, quasi subadiutores. de quibus Bulengerus. Inter officia Domus Augustæ, refertur ACTOR à FRUMENTO DOMITIÆ Aug. apud Gruterum. Et in militari annonæ A RAT. MIL. FRV. LEG. XXX. Fisci quoque frumentarii fit mentio: ubi Tabularius & Susceptoribus locus, de quibus Henricus Valesius, Susceptores, inquit, annonam militarem à provincialibus exactam susceptamque in horrea inferebant, & pro illationis modo securitates, id est, apochas accipiebant. ut est in l. 16. Cod. Theodos. de Susceptoribus. Hi etiam Annonam erogabant Actuariis & optionibus iuxta breves seu pittacia authentica, quæ actuarii semper parata habebant, in quibus, quo die & quantum esset erogatum, scribebatur. nec antequam pittacia hæc accepissent, Susceptores annonam ex horreis proferebant. Hi breves postea ad sacra scrinia mittebantur, lege 11. & 14. Cod. Theodos. de erogatione militaris annonæ. Huius loci sunt susceptores specierum annonariarum, & susceptores Canonis siue annonæ populi R. Fuerunt enim multa alia susceptorum genera. Adde Lazium sine libri secundi.

lib. 9. ep. 39.
de Imp. R. VL 3.
& VL 15.

Suet. & Plut.
Galb.
l. 4. ep. 4.

lib. 4. ep. 54.

Sed Præfectus annonæ longius incepto nos abduxerit. Spectanda enim nunc est Augusti & Augustorum cura in comparanda & colligenda annonæ. Sicilia, Sardinia, Africa, Ægyptus, frumentariæ provinciæ erant, vnde Romanis annonæ copia inuecta. De Sicilia & Sardinia Iuretus ad Symmachum testimonia collegit, Bulengero descripta, qui & de ceteris annotat. De Africa testimonio est, quod fiducia frumentariæ provinciæ rebus nouis studuerunt, & Clodius Macer, iussu Galbæ occisus, & Gildo Comes & Magister vtriusque militiæ per Africam, qui classes frumentarias retentauit. Vnde post rei damnationem (Symmachi verba sunt) adiecta est pro alimentis populi Rom. supplicatio. In metu enim erant, ne obesset commeatibus annonariis mediæ temporis mora, & perturbatio plebis oriretur. Quare Iudicibus provincialibus demandata cura, ne onusta nauigia apud portus morari permitterent. Quid mihi (inquit iterum Symmachus) insufurras frugis Africanæ tenues commeatus? Absit ut præsens annus imitetur fortunam superiorum. Intercludet, ut spero, prouidentia tristes casuum vias, sacris (Imperatorii) auribus edocendis, & castigatione Iudicum, quos alimentaria spectat inuectio: Nec spes dies
obstru-

obstruit. nam mare adhuc iustis cursibus patet, & nondum in hyemem
 precipitat autumnus. De Iudicibus stimulantibus etiam alibi agit. Et lib. 10 epist. 31
& 48.
 de Africa iterum: Quid enim spei reliquum sit, cum prouinciis Africanis lib. 4. ep. 75.
 nec ad victum tenuem frugum tritura responderit, & suppleta ex aliis
 terris semina vicinus annus expectet? Iure igitur ad eternorum Princi-
 pum prouidentiam Prouincialium sollicitudo confugit. In supplemen-
 tum Africani commeatus è Macedonia petatum frumentum idem lib. 3. ep. 55.
 Scriptor docet: Hinc (ex prædio ad Tiberim) libens video, quid frugis
 æternæ vrbi in dies accedat, quid Romanis horreis Macedonicus adducat
 commeatus. Nam pane cessante Africa fames in limine erat, quam cle-
 mentissimus, & ad salutem publicam genitus Imperator prevenit in-
 gestis alieni soli copiis. Neminem in errorem ducat Lampridius,
 quando de Commodò scribit: Classem Africanam instituit, quæ sub- in vie. c. 17.
 sidio esset, si fortè Alexandrina frumenta cessassent. Diu enim ante tem-
 pora Augustorum Africanum frumentum subuenisse Romanis, &
 Lipsius ostendit, & Casaubonus ad illum Lampridii locum monet.
 Igitur nouauerit aliquid tantum Commodus in illa subuectione.
 Ægyptum Augustus in prouincia formam redactam, vt feraciorem
 habilioremque annonæ vrbi redderet, fossas omnes, in quas Nilus ex-
 estuat, oblimatas longa vetustate, militari opere deterfit, memorante in Aug. 18.
 Suetonio: atque vetitis, nisi permissu ingredi senatoribus, aut equitibus
 Rom. illustribus seposuit Ægyptum; ne fame vrgeret Italiam, quisquis
 eam prouinciam, claustraque terræ ac maris, quamuis leui præsidio ad-
 versum ingentes exercitus insedisset. vt est apud Tacitum. Qui etiam 1. Hist. 11.
 regimen eius equiti Rom. traditum refert: Ita visum expedire, pro-
 uinciam aditu difficilem, annonæ secundam, superstitione ac lascivia
 discordem & mobilem, insciam legum, ignaram magistratum domi re-
 tinere. Classem quoque Alexandrinam ab Augusto institutam Li- El. 1. 8,
Sueton. Ner. 47
 psius putat. Vnde non incallide Nero de retinendo Imperio iam Suet. Claud. 18.
 desperans, deliberauit, an Ægypti præfecturam concedi sibi oraret.
 Claudius postea nihil non excogitauit ad inuehendos etiam in tempore
 hiberno commeatus. nam & negotiatoribus certa lucra proposuit susce-
 pro in se damno (nota imaginem eius contractus, qui iuniore tuo
 assecurationis nomine frequentari cœpit) si cui quid per tempestates
 accidisset: & naues mercaturæ caussa fabricantibus magna commoda
 constituit. Cumque annonæ curam sollicitissime semper ageret, 12. c. 20.
 etiam portum Ostia extruxit, circumducto dextra sinistraque brachio,
 & ad

& ad introitum profundo iam solo mole obiecta. quam quo stabilius fundaret, nauem ante demersit, qua magnus obeliscus ex Ægypto fuerat aduectus, congestisque pilis superposuit altissimam turrin in exemplum Alexandrinæ Phari, vt ad nocturnos ignes cursum nauigia dirigerent. Hic est ille dilaudatus Urbis æternæ & sacra portus, quem Poëta signat:

*Iuuenal. satyr.
12. v. 75. &c.*

*Tandem intrat positas inclusa per æquora moles,
Tyrrenamque pharon, porrectaque brachia rursus,
Quæ pelago currunt medio, longeque relinquunt
Italiam.*

*ad Symmach.
lib. 3. epist. 55.
p. 103.*

lib. 19. c. 21.

*Pag. Grut. op.
CCCLXII.
1.*

Vbi vetus Scholiastes: Portum Augusti dicit, siue Traiani: quia Traianus portum Augusti restaurauit in melius (vnde illud, rursus) & interius tutiorem, sui nominis fecit. Portum Augusti dici certum est: quamquam Iuretus mallet rescribere portum Augustum, quia non ab Augusto, sed à Claudio est extructus. Sed illum facile ab incepto deterrere debuit, consuetudo similis locutionis, qua non Augustum modo, quod rarius occurrit, sed Augusti dicitur, quicquid est Imperatorium, aut Imperatorem aliquem auctorem habet. Ammiani Marcellini locus clarus & consensu codicum indubius est, vbi Tertullus vrbi Præfectus seditionibus plebis famem metuentis agitatur innocens: Nec enim per eum steterat, quo minus tempore congruo alimenta nauibus ueherentur, quas maris casus asperiores solitis, ventorumque procelle resstantium delatas in proximos sinus introire portum Augusti discriminum magnitudine perterrebant, moxque diuini arbitrio numinis, quod auxit ab incunabulis Romam, perpetuamque fore respondit, dum Tertullus apud Ostia in æde sacrificat Castorum, tranquillitas mare molliuit: mutatoque in austrum placido vento, velificatione plena portum naues ingressæ, frumentis horrea referferunt. Apud hunc Ostiensem portum tum alia, tum mensorum frumentariorum, & Caudicariorum, id est nautarum, qui frumentum maioribus nauibus allatum, caudicariis siue minoribus nauigiis Tiberi subueherent, ministeria, corpusque e. g. mensorum, corpus caudicariorum Portuensium noscitabantur. Extat insignis inscriptio vetus de certamine vtriusque corporis per præfectum annonæ Vincentium Celsum composito, vnde illa hic legi volumus: nam. rexit. aannonariam. potestatem. vrbis. æternæ. ea. equitate. vt. inter. omnes. qui. ad. eum. animo. litigantis. intrassent. parentem. se. plerumque. magis. his. quam. iudic-

iudicem. praeuiffet. tunc. etiam. factum. est. ut. mensorēs. nos. portuen-
ses. quibus. vetus. fuit. cum. caudicariis. diuturnumque. certamen. voti.
compotes. abiremus. ut. utrumque. corpus. &. beneficio. se. &. victoria.
gratuletur. affectum. Corpus quoque Saccariorum portus Romae de-
scribitur in Cod. Theod.

Ad hanc ergo subuehendae annonae curam classes illae perti-
nent, de quibus plura *Bulengerus* annotauit. Adeo ut aegre tulerint de Imp. Rom. VI, 6.
Romani, si de illarum classium nauibus aliqua alios ad vsus adhibe-
retur. sicut *Neroni* ingens conflata est inuidia, cum in publica fame Suet. Ner. 45.
Alexandrina nauis nunciaretur, puluerem luctatoribus aulicis aduexisse.
Nisi quod praeter frumentum (quo praecipue onerabantur) etiam
accessio aliqua, ut hodie fieri solet, mercium peregrinarum facta
est, id quod vel ex *Suetonii Augusto* colligas. *Naucularius* etiam, qui Cap. 98.
delegatas species annonarias transferebant, de plena securitate legi-
bus prospectum *codex Theodosianus* docet *tir. de Nauculariis & quatuor*
sequentibus: ubi & in vicem eorum opera ita obligatur, ut subuectio Adde Buleng. VI, 7.
annonaria nullum sentire detrimentum posset.

Colligebatur autem frumentum in *Horrea publica*, quae non
tantum Romae varia erant, ut ostendit *Lipsius*, sed etiam in Portu Elect. 1, 8.
Ostiensis, & in prouinciis passim, de quibus *Bulengerus*. Atque ita de Imp. Rom. VI, 5.
rursus curatorum, praefectorum, ministrorum numerus & nomi-
na. *Horrea* hic accipimus, ubi frumenta reponuntur. alias enim
latius patet vsus vocabuli, quod *Glossae Sero Suxlw* reddunt. de quo
genere nobilis locus est in *Alexandro Seuero Lampridii*, ubi frustra cap. 39.
putamus Historici fidem a *Salmasio* in dubium vocari, si attendas pag. 214.
vocem, in omnibus regionibus. Fuerunt itaque antea *horrea publica*
in Vrbe, sed non in omnibus vrbis regionibus. ut bene explicat
Casaubonus. Atque ita in horreis repositae species annonariae, In Not. p. 168.
condita vocabantur, aut *condita horreorum*, de quibus *Casaubonus* & *Sal-*
masius ad Spartianum videndi. *condita* scilicet ad *ciuilem & milita-*
rem annonam. unde *condita militaria* saepius legas. *Spartianus in*
Hadriano: *Laborabat, ut condita militaria diligenter agnosceret.* cap. 11.
Quod idem est ac illud apud *Lampridium in Alexandro Seuero*: *Anno-*
nam militum diligenter inspexit. cap. 15. Nominatim ea designatur apud
Capitolinum in Gordianis: *Misitheus tanta in Republica dispositio fuit, ut* cap. 28.
nulla esset vnquam ciuitas limitanea potior, quae non posset exercitum populi
Rom. ac Principem ferre, quae totius anni in aceto, frumento, & larido,

cap. 29.

arque hordeo & paleis condita non haberet: minores vero vrbes, alie triginta dierum, alie quadraginta, nonnulla duorum mensium, qua minimum, quindecim dierum. Et mox: Misit heu tantum, quantum diximus, habuerat conditorum, vt vacillare dispositio Romana non posset.

De Imp. Rom.
IX, 9.
2, 26.

Frumentum & annona, qua colligebatur & condebatur, partim ex decimis, partim ex tributis & collationibus, siue pensationibus aliis, partim exemptione, ad destinatum modum numerumque conficiebatur. De decimis, exemptione, vectigali annonae *Bulengerus* videndus. Et de negotiatoribus frumentariis iam dictum est. apud *Cassiodorum* *Theodericus Rex* de more veteri negotiatoribus Apuliae siue Calabriae, per quos frumenta publice comparabantur, quosque suis titulis necessarios iudicari, egregie prospectum voluit. Adde *Lipsum*.

Elect. 1, 8.

In vit. c. 11.

In his rebus quantum operae studiique posuerint Imperatores, crebris Historicorum monumentis edocemur. *M. Antoninus*, inquit *Capitolinus*, omni frumentariae rei consuluit. Et: De alimentis publicis multa prudenter inuenit. Vbi *Casaubonus* mallet addere priuatique: vt magis congruerent, qua ex oratione *Marci l. 8. D. de transact.* demonstrat. Sed audax fuerit haec additio. Illud potius de negligentia Historici conquerendum est, quod ignorare nos voluit, qua essent illa prudenter reperta. *Idem* de *Pertinace*: Annonae consultissime providit. De *Alexandro Seuero* *Lampridius*: Commeatus populi Romani sic adiunxit, vt cum frumenta *Heliogabalus* euertisset, vicem de propria pecunia loco suo reponeret. Negotiatoribus vt Romam volentes concurrerent, maximam immunitatem dedit. Oleum, quod *Seuerus* populo dederat, quodque *Heliogabalus* imminuerat, turpissimis hominibus praefecturam annonae tribuendo, restituit. Commeatus est, vt recte *Casaubonus*, *κατατάξας*, & de inuecto classibus frumento capi debet. Oleum ad distributionem pertinet. vbi de hoc loco *Lipsum*. *Aureliani* singularis in hoc genere dispositio fuit, quam ex epistola eius ad *Flauium Arabianum* Praefectum Annonae apud *Vopiscum* licet cognoscere: Inter cetera, quibus Diis fauentibus Romanam rempublicam iuimus, nihil mihi est magnificentius, quam quod additamento vnciae omne annonarum vrbicarum genus iuui: quod vt esset perpetuum, nauicularios *Niliacos* apud *Aegyptum* novos, & *Romae* amnicos posui, *Tiberinas* extruxi ripas: vadum alvei tumentis effodi. Diis & Perennitati vota constitui,

cap. 7.

cap. 21 & 22.

In vit. c. 47.

almam

almam Cererem consecraui. Nunc tuum est officium, Arabiane incun-
dissime, elaborare, ne meae dispositiones in irritum veniant. Impera-
tor Probus accepto imperio in prima sua ad Praefect. Præt. epistola *Vopisc. Prob. 10.*
militaris annonae curam commendavit: Te quaeso, annonam & com-
meatus & quicquid necessarium est, ubique militi pares. *Ammianus lib. 18. c. 2.*
Marcellinus horreorum in Gallia meminit, ubi condi posset annona, &
Britannia sueta transferri. Cuius transuentionem quomodo instau-
rauerit, & ab incursionibus hostium tutam reddiderit *Iulianus*, ipse
commemorat in epistola ad Athenienses; & *Zosimus*.

p. 514. Edit. Pe-

tau.

lib. 3.

Veniendum est ad dispensationem annonae Imperatoriae. Quae
partim ad largitiones, partim ad necessitates pertinet. Et largitiones
quidem atque frumentationes gratuita egregie executus est *Lipsius lib. 1. c. 8.*
in Electis. Ceterum largitiones annonariae ab initio eo pertinent, ut
dulcedine otii, cuius haec non minima pars erat, siue amore imperii
singularis Caesarei ac noui status animi hominum imbuerentur. Post-
ea amulatione Principum circa artes & laudes popularitatis, stu-
dioque munificentiae & magnificentiae, & consuetudo frumentandi,
& annonae varietas, & canonis modus continuari atque augeri
cepit. Maiori periculo Reipublicae, quam commodo. Quod *Al-* *Suet. Aug. 42.*
gustus mature prouiderat, sed omittere non ausus erat. Agriculturae
neglectus, plebis ignauia & procacitas, id est, materia seditionum
perpetua, haud dubie ita alebatur. Ecce specimen in *Vopisci Aure-* *cap. 48.*
liano, qui non contentus priorum Principum liberalitatem imi-
tari, statuerat & vinum gratuitum populo Rom. dare, ut quemadmodum
oleum & carnes & porcina gratuita praeberentur, sic etiam vinum dare-
tur: quod ut perpetuum esset, dispositionem eius historicus refert.
Sed multi dicunt, Aurelianum ne id faceret praeventum; alii à Praefecto
praetorii sui prohibitum, qui dixisse fertur: Si & vinum populo Rom. damus,
superest, ut & pullos & anseres demus. Bene ratiocinatus est simul
Praefectus praetorio, & prodigam largitionem arguit. Ita nimirum
solet fieri, ut multa, quae ab initio erant consilii, & temporis, post-
ea specie ordinariae prudentiae blandiantur: ingenti fragilitatis
humanae, etiam in summis imperiis, sapientissimosque apud viros
documento. Plus haec prodigantia moribus Romanis nocuit,
quam vlla vnquam liberalitas casibus temporum profuit. Vano
igitur nomine à nonnullis quasi liberalitas in egenos celebratur.
Non tam subleuauit ea res egenos, quam fecit. Longe alia cautione
dispen-

dispensandum est, quod pauperibus destinatur. Cum præsertim à nonnullis Principibus facinora tyrannidis tali simulacro liberalitatis redimerentur, teste *Plinio*.

Paneg. 28.

Not. ad Vopisc.

pag. 373.

pag. 374.

Panem cœpisse distribui, cum antea frumentum tessera adhibitis erogaretur, tempore Traiani, existimavit *Lipsius*, quem refellit *Salmasius* argumentis non leuibus, & ad Aurelianum eius moris initium refert. De nomine etiam (dicebantur enim panes gradiles) contra *Lipsum* & alios disputans, quod gradibus & in gradibus distribuerentur, sic vocatos esse audias vulgo iactari. & verum quidem hoc est. sed ubi gradus illi? quidam in singulis regionibus vrbis gradus erectos fuisse, ubi hæc diuisio. alii ad pistrina, quæ in singulis regionibus erant, gradus illos ponunt. sed quis erexit? quis posuit? ad quam rem vero erecti? non enim ab omni æuo Romæ hæc panis distributio celebrata est. cui rei igitur seruiebant prius? sed quam multos oportet gradus fuisse, aut quam capacem locum, in quo erecti, tenenda tantæ multitudi- ni, quæ quotidie ad panes accipiendos conueniebat? Ostendit subinde prolixè in iisdem gradibus acceptos panes, in quibus olim congia- ria, æra, missilia, tessera omne genus mittebantur, id est, in gradi- bus amphitheatri & Circi, ubi & ratio ordinis prompta in distinctis gradibus. nisi quod Constantinopoli in fori gradibus, quos de- scribit postea, ista distributio fieret. Qua re multum profici videtur ad intelligendas *leges Codicis Theodos. de annonis ciuicis & pane gradili.*

pag. 376.

*in M. Anthon.
cap. 7. o*

Plin. Paneg. 28.

Not. p. 63.

in Not. p. 83.

Quatenus aliis satis pertractata nil attinet repetere, non tem- pero tamen mihi quin requiram, quidnam sibi velint *pueri & puellæ nouorum hominum*, quos *Diui Fratres* ob conjunctionem *Lucillæ & Veri*, siue potius fraternam in imperio, *frumentariæ perceptioni ad- scribi præceperunt*, apud *Capitolinum*? *Ingenuorum puerorum nume- rum à Traiano conquisitum* nouimus, qui participes essent huius largitionis. Sed *nouorum hominum* pueros quomodo explicamus, nisi hoc tanquam stipendium, nec tanquam pauperibus, sed libera- litate honorifica obligandis hominibus, erogatum credamus? *Ca- saubonus* *nouos homines* interpretatur, qui nuper ex lege *Pii* ciues facti erant, tanquam *nouos ciues* dixeris: &, qui pro *Christianis* ac- cepere *nouos homines*, refutat. *Salmasius* his reiectis, *pueros & puellas nouorum nominum* reformat. *Primus*, inquit, *Traianus* *pueros & puel- las alimentarias* constituerat, quibus liberalitatis incrementum adiecit

Hadria-

Hadrianus. Pius etiam in honorem Faustinae novas puellas ascribi fecit, quas Faustinianas appellauit. Nunc M. Verus ob coniunctionem & participationem imperii nouorum nominum pueros & puellas ascribi precipiunt. cum enim darent nomina sua, qui ascribendi erant huic frumentariae perceptioni, pueri puellaeque ideo nouorum nominum dicuntur, quod praeter illos & illas, quarum nomina non habebantur ascripta, quasq; iam instituerant priores Imperatores, noui isti Marci & Veri iussu ascribebantur. Plausibilis prima specie emendatio, & fortasse vera. Sed si nouorum nominum, sicut de Faustinianis Capitolinus (ita enim vere nouorum nominum dicerentur) cur non expressisset illa nomina? Altero enim significato nominis, frigebit sententia. Vnum quarendum est, an alimentaria ista compendia semper ad solos egenos & pauperculos pertinuerint? Quod si mutauit, & ambitiose ad alios translatum est, noui homines non tam absurde hic legentur.

Necessitates in dispensanda annona vocauimus, quicquid non est meræ largitionis. Itaque huc pertinent stipendia, salaria, praemia virtutis & operæ, quæ annona constant: tum parabilis rerum ad annonam spectantium copia. Id enim imprimis studebant Principes, ne annona carius veniret, aut plebem fatigaret. Praeter annonas ciuicas gratuita, (quæ ab Aureliano institutæ, sub Heraclio Imperatore sublatae sunt) etiam panis è fisco, & vina fiscalia, pretio comparabantur, ut docet ex l. 5. C. Theod. de pane gradili, & Vopiscus, Salmasius. Et cum arctior annona incidisset, leuiore pretio annona publice venit, vt postea dicitur: admixta scilicet & interposita emtioni liberalitate Principum. Iuliani institutum hoc nomine reprehendit Ammianus Marcellinus, quod popularitatis amore uilitati studebat rerum uenaliu, quæ nonnunquam secus quam conuenit ordinata, inopiam gignere solet & famem. Sed ipse quidem Iulianus in Misopogone extremo rem exponit, & laude dignam exhibet: Quando querelis populi, in magna rerum necessariorum copia, caritatem tamen, & iniquitatem pretii incusantis commotum se, frumenta domestica uili pretio uendidisse ait, ceterosque, vt idem facerent, constituto rebus uenalibus pretio, adigere uoluisse. quamquam diuites legem grauati foris frumentum venderent aliis, neque ciuibus gratificari cuperent, quod Iulianus suo exemplo edictoque demonstrauerat. Id esset nihil aliud, quam τὸ τῆς ἀγορῆς εἶσθαι πλὴν πλεονεξίας, auaritiam foro pellere. Atque in hunc modum

In Ant. Pi.
c. 8.

Not. ad Vopisc.
p. 408.

lib. 22. c. 32.

Pag. 108. Gra.
edit. Petan.

C

etiam

Tom. 2. edit.
Paris. orat. 10.
p. 306.

2. 4. 37.

lib. 3. hist. Eccl.
cap. 17.

cap. 14.

not. pag. 99. &
100.

Lampr. in vit.
c. 22.

etiam laudator Iuliani Libanius factum illud extollit: Iulianum, cum diuites pretia rerum per auaritiam auxissent, conuocatis agricolis, opificibus, cauponibus, agoranomis persuadere voluisse, ut equitati animum accommodarent, legemque de pretio frumenti sanxisset, eamque suo exemplo, prolato scilicet in forum frumento, pretio legis vendendo, firmasse; obuiuentibus tamen Senatoribus, & suum frumentum occultantibus. Pretium, quod constituerat, fuit, ut XV. modii aureo venirent. Laudatur certe ob simile factum Tiberius apud Tacitum: Seuitiam annonae incusante plebe, statuit frumento pretium, quod emtor penderet, binosque nummos se additurum negotiatoribus in singulos modios. Verum tamen esse iudicium Ammiani, possumus ex Socrate discere, qui popularitatis studio Iulianum ultra quam oportebat fieri, minuisse rerum pretia ostendit: non considerantem, quid tempori conueniret, & quod multitudo militum provincialibus molesta, copias ciuitatum absumeret. hinc factum esse, ut caupones & negotiatores, metu legis Iulianae, foro abstinerent, rerumque inopia, cui obuiam ibatur, ultro eueniret. Legendus est omnino locus memorabilis prudentiae. Sicut enim laudari merentur leges & instituta, quae cupidinem lucri foro arcent, & pretia rebus, praesertim ad victum necessariis, moderata decernunt: ita ratiocinatores boni temporum, & futurorum euentuum, quid obtineri possit, aut non possit, callidi prouisoires esse debent, qui rem annonariam tractant. Id quam arduum sit, omnis aevi experientia comprobatur.

Casaubonus cum loco Ammiani comparauit exemplum Commodi apud Lampridium. nam & Commodus, inopiae Romae exorta, quamquam fruges non deessent, occisis vastatoribus annonae seculum aureum Commodianum nomine assimulans, vilitatem proposuit, ex qua maiorem penuriam fecit. Ostendit, inquam, ad hunc locum Casaubonus, non semper satis esse remedii, in proposita siue legibus edicta vilitate rerum: quapropter consultius fecisse Alexandrum Seuerum, de quo Historicus: Cum vilitatem populus Romanus ab eo peteret, interrogauit per curionem, quam speciem caram putarent. illi continuo exclamauerunt, carnem bubulam atque porcinae. Tunc ille, non quidem vilitatem proposuit (siue, non tulit legem de pretio minore, aut non minuit pretium lege) sed iussit, ne quis saminatam (seropham) occideret; ne quis lactentem (siue lactantem, ut tam etiam dicebant porcellam minutum pro lactentem, docente Salmasio) ne quis vaccam, ne quis

ne quis damalionem : tantumque intra biennium vel prope annum, por-
sina carnis fuit, & bubula, ut cum fuisset octominutalis libra (id est,
octo minutis argenteis venisset, ut Salmasius, aut areis, ut Ca-
saubonus putat) ad duos vnumque (siue vnum) vtriusque carnis libra
redigeretur.

Stipendii militaris tum æstimatio facienda est potissimum ex
annona, tū pars intelligenda de annona. Quia enim incredibilis an-
nonæ vilitas Romæ & per Italiam fuit, stipendii modus non debet
videri malignus aut restrictus; cum decima diurni stipendii parte
omnia necessaria in cauponis & itinere redimi aliquando potuisse
constet. Et seueriore quidem disciplina militari adhuc valente, fru-
mentum militibus publice dabatur, tum alias ob causas tum
quod esset pane militari leuius, & ad portandum habilius. Successit
postea panis: in quo etiam ratio leuitatis inuenta, quantum ad
buccellatum attinet, qui in Glossis ἀρτοειλαφρός panis leuis. De fru-
mento militari videndus omnino doctissimus Scheelius ad castra Po-
lybiana. Virtutis autem causa, modo annona tantum, modo &
cetera pars stipendii, multiplicabatur quibusdam. Ceterum de
modo stipendii etiam annonarii, extat locus incomparabilis in Clau-
dio Trebellii Pollionis: vbi describitur tribuno quidem datum, sed par
ducum salariis, salarium. Legendus est Iacobus Gutherius de officio da-
mus Augusta lib. 2. cap. 12.

Memorabilis est de genio militum defraudato in annona apud
Procopium in Vandalicis narratio: quam Grotius Latine ita conuer-
tit: Panem, quo pascuntur milites, bis in furnum mitti necesse est, atque
ita percoqui, diu ut duret, non autem breui diffuat. inde autem fit, ut
ponderi multum decedat. ideoque solet militibus in distribuendo pane
castrensi quarta parte minus, quam alias, ponderis attribui. Buccella-
tum ita describitur. Iohannes igitur (Præfectus prætorio) id studens,
quomodo & ligni minus insumeret, & minores mercedes daret pistoribus,
& pondus seruaret, crudum adhuc panem in balnea publica, quibus Achil-
li nomen est, inferens, in eam partem, sub qua ignis ardet, imponi, & vbi
mediocriter coctus putabatur, in culeos inditum inferri nauibus iusserat.
vbi iam Methonam classis venerat, dissoluti panes in farinam redierant,
nec eam integram, sed situ corruptam, idque ipsum odore testantem. Hæc
in milites eodem quo iusti panes pretio, mensuris, quas medimnos & chæ-
nicas (chænix diurnæ alimonix mensura est: medimnus Atticus,
sex

sex modiorum Romanorum est; modium autem octo chænicæ constituunt) vocant, dividebantur. His male pasti milites flagranti æstate, squallentibus in locis in morbos incidebant, minimoque tempore 500 interiere: latiusque sparsisset se malum, ni intercessisset Belisarius panem imperans distribui, quo eius regionis homines utebantur.

ad Spartian.
p. 25. & 145.

de Repub. Rom.
lib. 2. c. 15. p. 280.

lib. 8. c. 12.

Syntagm. 1. v.
lib. 36. cap. 30.
Cuiac. ad Cod.

in Tacit. 1. A.
p. 123.

Notabile genus stellionatus hic occurrit, siue Stellaturæ. Stellaturam enim dici etiam id genus imposturæ, quod occasione erogandæ militaris annonæ fit, libenter credam *Salmasio*, & locis Scriptorum: sed non semper eam vocis significationem esse, vel *lex vicesima octava Cod. Theodos. de erogatione militaris annonæ*, & *duodecima Cod. Justin. lib. 12.* ostendit, ubi emolumenti liciti, quod *tribuni stillaturæ* (seu stellaturæ) nomine consequuntur, mentio fit. *Wolfgangus Lazius* annotat, *Stellaturam* fuisse nomen militaris annonæ, aut symboli annonarii stella signati. *Alciatus ad d. l. Codicis*, & in *Parergis*, habuisse milites id commodum, ut minore pretio sibi annona ipsa imputaretur (quàm scilicet alias adærari posset) & hanc stellaturam dictam, existimat. Cuius sententiam *Gregorius Tholosanus*, & alii, sequuntur. Nonnulli stellaturam pro annonis septem dierum aut earum pretiis accipiunt. ad quam sententiam more suo nugas magnas agit, cum annotat *Ludovicus Aurelianus*: *Stellaturas* appellat (lex scilicet) ut puto, à septem stellis seu planetis, qui in hebdomada per septem dies habent sua nomina & imperia. Quod fluxit à dicacitate militum. Sed pudet referre digna pluribus Anticyris deliria, quibus scatet liber iste monstrificus. Alii pretia vacationum & munerum hoc vocabulo intellecta volunt. Id interim constat, sicut *Cuiacius* & *Casaubonus* iam notarunt: Imperatores dicta lege stellaturam non improbasse, sed ut annonæ hoc nomine in emolumentum tribunorum cedentis adæratio, pretium in foro vsitatum non excederet, præcepisse.

Ceterum annonæ militari multis modis fraudem factam olim, diligentissimæ legislationes Imperatorum declarant in utroque Codice. Hinc erogatoris fides iureiurando pigneratur: hinc actuarii, quibus alias negotiari cum militibus concessum erat, & optiones, si quid amplius accepissent, quàm pittacia designabant, aut numeris militum datum erat, seuerè coërciti: hinc tribuni & præpositi prouidere iussi, ne vitiatæ corruptæque species in pagis horreisque militibus diuidendæ remanerent: hinc rectorum officiorum.

eiorumque militarium & prouincialium sollicitudo adstricta, ne vlla in parte accipiendæ exigendæque annonæ, iniuria militibus, aut sociis ciuibusque, annonam conferentibus fieret. Abrogatis enim oneribus sub prætextu annonæ exigi consuetis, cœmatica vitata sunt: vt recordarentur milites, commoda sua, quæ in annonarum perceptione adipiscuntur, extrinsecus detrimentis prouincialium non esse cumulanda. Atque vbi species erogabantur, ne pecunia exigeretur; rursus, vbi ærariæ annonæ constitutæ erant, ne species exigerentur; denique ne adæratæ annonæ ante tempus exigerentur, cautum est. Labores quoque conuehendæ annonæ inter milites & prouinciales distributi, mutuo leuamento fuerunt. Sed & fisci compendia, ex delinquentium, & negligentium erroribus, artificiose quæsitæ, partem huius legislationis faciunt; elegantissimæ sane, & ex qua sola fere rationem accuratiorem condendæ dispensandæque militaris annonæ liceat condiscere. Vnde singulas facti species in istis legibus designatas, qui velit accurate describere, satis habebit, post *Cuiacium* & *Perezium*, quod agat.

In transitu, locum *Suetonii* & *Galba* licebit considerare: magnæ seueritatis exemplum, in re paruula (id enim est Historici iudicium) continentem. *Galba militi, qui per expeditionem annonæ arctissima residuum cibariorum, tritici modium centum denariis vendidisse arguebatur, vetuit, simul atque indigere cibo cœpisset, à quoquam opem ferri, & is fame extabit.* Dubitat ex hoc loco *vir doctus*, an militibus licuerit frumentum siue partem annonæ suæ vendere. Vel enim hunc sensum esse loci, quod non licuerit vendere: vel hoc reprehendi, quod miles *Galbæ* de frumento suo tam immani pretio modium vendiderit. Si non licuit vendere, in expeditionibus non licuerit: nam in prouinciis & statiuis licuisse, multa sunt, quæ probare videntur. Reuera autem hunc colorem seueritatis *Galbianæ* putem esse: quod miles auaritiæ maiorem, quàm necessitudinis & periculi, ex caritate annonæ (cuius causa parce omnibus & singulis præbenda erat annonæ, vt non nisi defraudando genium suum alter alteri posset opem ferre) rationem habuisset. Ita puniebatur inopia, qui alienæ opis spe, tam periculoso tempore, suam annonam lucro argentario iam prorsus inutili permutauerat.

Vocant nos prouisiones Imperatoris ad *remedia difficilis & arctæ annonæ*. Optimum hic quoque est *Philosophi*, vt in plerisque

*Dissert. ad Tacit.
cit. lib. 12. dis-
sert. 3.*

aliis, consilium: præseruare potius ciuitatem, ne remediis opus habeat, quam laboranti remedia conquirere. Cum præsertim in diligenti collectione & custodia annonæ, fertioribus in annis, certum quasi aduersus inopiam & famem præsidium paratum videatur. Quæ res effecit, vt inexcusabilem errorem pronuntiet *Scipio Amiratius*, si quid in hoc genere ab iis, qui annonæ curam gerere debent, negligatur: id est, vel minus, quàm par erat, ad casus inopiæ reponatur; vel plus, quàm abesse poterat prouisu futuri, exportari sinatur. Sed res est, vt sunt humana, facilius dictu, quàm factu. vnicus est modus, qui certiora præsidia pollicetur: si ciuitas, aut Princeps, tantum annonæ publice colligat asseruetque, quantum omnibus alendis ciuibus, si opus sit, sufficiat. Sed vbi aut quando hoc fieri potuit, factumue est? Exemplum incomparabile proditum est Iosephi in Ægypto administratione, sacris Annalibus memoratâ. Romani Imperatores Romæ, & in ciuitatibus maioribus; in prouinciis autem, pro militibus & ministeriis publicis potissimum, id prouiderunt: ita tamen, vt exempli annonæ Romanæ imaginem apud socios vellent extare, in quantum per magistratum auaritiâ & fraudes fieri poterat. De cetero singulis ciuibus, vbique fere gentium, in comparanda dispensandaque annona magna libertas concedenda est. Neque omnia apud negligentes, & in diem viuere assuetos, satis præcaueri possunt. Ne de sterilitate plurium annorum aliisque casibus improuisis dicam. Agriculturæ maximam habendam esse rationem, notius est, quàm vt dici debeat: præsertim illis in locis, vbi rustici ad inertiam procliuës non amplius de exercenda terra solliciti sunt, quàm vt necessaria in annum annona suppetat: reliqui quæstus, mediocri industria plus ultra parabilis, prorsus incuriosi. Quæ desidia variis artibus & illecebris emendari, & ad laboris studium transferri potest.

vit. Aug. 42.

3. offic. 7.

Augustus magna quondam sterilitate ac difficili remedio venalitiâs & lanistarum familias, peregrinosque omnes, exceptis medicis & præceptoribus, partemque seruitiorum, vrbe expulit. Suetonius & Dio auctores. Factum hoc sæpius Romæ: & de suis temporibus queritur *Ambrosius*, quod proxime Romæ factum erat, eiectos esse vrbe amplissimâs, qui iam plurimam illic ætatem transegerant, flentes cum filiis abiisse, quibus velut ciuibus amoliendum exilium deplorarent, interruptas complurium necessitudines, diremtas affinitates. Probat hoc remedium

Amira-

Amiratus : improbat *Grotius* auctoritate *Ambrosii* grauius hac de re, *l. 3. c. 2. 19.*
 loco, quo dixi, differentis. Qui probant, ea potissimum ratione
 ducuntur, quod non teneatur quisquam ad communicationem &
 commercium eius rei, cuius ipse indiget. Quamquam ratio-
 cinatione necessitatis, pro ingenio hominum non eodem modo fieri so-
 let. Magna etiam inter peregrinos occurrit differentia. Aliqui
 videntur recepti in perpetuam communionem vrbis; nisi delicto
 ius manendi imminuerint, aut exilium sibi conscuerint. Hos ex-
 pellere, durum fuerit. Sunt alii, qui magno numero, mendicandi
 causa, urbem aliquam implent, tempore arctioris annonæ. Ex iis,
 vt qui ætate, aut calamitate corporis sibi plane consulere ipsi ne-
 queunt, quantum fieri potest, alantur, humanum est: qui labori-
 bus, non nimis, sufficiunt, opere faciendo alimoniam mereri,
 æquum est: qui prorsus valent, & mendicandi consuetudine po-
 tius quàm necessitate ducuntur, etiam vrbe ablegari, haud iniquum
 est. Potest incidere, vt tanta multitudo mendicorum se infundat,
 vt res periculo non careat maximo, facinorosis illi turbæ passim
 admixtis; vt morborum lues exinde urbem infestare incipiat, aut
 ciuibus exitium minitetur. Quis non videt summam rationem,
 quæ turba concurrentium vndique variis generis hominum leuari
 urbem oneri imparem iubet, pro necessitate esse? Duo interim
 semper sunt probe tenenda: primo, quod beneficentiæ in pauperes
 legem Christiana religio animose & eoque interpretatur, quo
 ethnicorum prudentia non ascendit; deinde, quod omnia prius
 tentanda, quàm peregrini tempore famis expellendi sunt. Lau-
 dat *Ambrosius* Præfectum vrbis, qui locupletioribus persuasit, vt
 collato auro cogerentur frumenta. Ita nec abundantiam vrbis minuit,
 & peregrinis alimoniam subministravit. Argentoratum inter eas
 vrbes est, quæ in publica vastitate, & fame maxima non modo
 omnis circaviciinæ, sed regionum longius positarum, per bella
 huius sæculi tantum oneris sustinuit, tantum peregrinorum pauit,
 tam prudenter beneficentiæ suæ rationes dispensavit, vt in æternis
 eius elogiiis merito is titulus consecrari debeat. Arduæ eius tem-
 poris consultationes: & dignæ, quæ in annales eant, exemplo vni-
 co futuræ, quid possit Christiana prudentia, magnitudine animi &
 misericordiâ, sedulo adiuta.

*Vid. Magni
 Theologi Doct.
 Schmidii p. m.
 Homil. de Eleo-
 mos. & prefat.*

Tito-

2 A. 87.

p. ccccxxxiv.

I.

Domit. 7.

Vit. Apollon.
Tyan. l. 6. c. 17.in Pi. Anton.
cap. 11.In Commod.
c. 14.

lib. 9. ep. 5.

Tiberius, vt ad Imperatores reuertamur, sæuitiæ annonæ opitulaturus, apud *Tacitum*, partem pretii suppleuit liberalitate, vt ante dictum est. Etenim pretium tali rerum statu, & aliis modis artibusque temperari solebat. Crebra gaudiis popularibus materies: etiam à *Procos.* interdum aliisque magistratibus subministrata. *L. Mæcio municipes. & incola. ob. merita. eius. quod. annona. kara. frument. denario. modium. prestitit.* tabulam marmoream posuerunt, in opere *Gruteriano*.

Domitianus remedium annonæ quæsiuit festinantius quàm consultius: rei causis non satis perspectis. Ad summam enim vbertatem vini, frumenti verò inopiam, existimans nimio vinearum studio negligi arua, edixit ne quis in Italia nouellaret, vtque in prouinciis vineæ succiderentur, relicta, vbi plurimum, dimidia parte. Ita *Suetonius*. Tulerat eodem tempore legem, de non faciendis eunuchis, hominibus parcens, τὴν δὲ γῆν ἀνοχίζων, terram vero castrans, vt ioco vetere dictum est apud *Philostratum*. Et quia res hæc temere decreta erat, non perseuerauit exequi: non permisit enim tantum rogantibus Asiaticis, sed præcepit vineas colere, referente *Philostrato in vita Scopeliani Sopista*. Vnde etiam discas, curam annonæ obtentui fuisse, ceterum vini vsum suspectum *Domitiano* fuisse, ne vulgatus mobiles populorum animos ad seditiones & turbas incenderet. Reperias tamen de cetero loca & tempora, vbi nimium vinearum studium agriculturæ obesse queat, vt legibus temperari debeat.

M. Antoninus Italicis ciuitatibus famis tempore frumentum ex vrbe donauit. Testis *Capitolinus*. Sub *Commodo* annonam vastasse, qui tum rempublicam gerebant, frustra que remedium ex vilitate proposita quæsitum, iam ante dictum est. Potentius remedium ex pœna, id est, cæde ac proscriptione eorum, qui omnia vastabant, *Lampridius* refert. Hoc est enim genus hominum, quod pœnis quidem nunquam satis coercitum, & vetari plerasque apud ciuitates & retineri solet. *Dardanarios* vocant *Paulus* & *Vlpianus* Iureconsulti: qui annonam incendebant, excandefaciebant, flagellabant, vexabant, vt veteres loquuntur. Describit hos, & ad vendendum frumentum, moderata tamen pretii quantitate, compellit Rex *Athalaricus* apud *Cassiodorum*. Cohortationibus grauib; eiusmodi σποχρηπῆλες emendauit

dauit aliquando *Basilus*, teste *Gregorio Nazianzeno*, & *Ambrosius* summa contentione eos ad officium reducere conatus est in *Officiis*; vbi & inuenta profligat, quibus facinus suum prætexunt οἱ κηλαδέγγυ-
μαλδ'ορτες τῆς ἐνδείας, famem quasi negotiantes siue questui habentes, vt est apud *Gregorium*; ἡ δὲ ἐγγύς οὐκ ἐστὶν τὸ ὑστέρημα τῶν δεομένων, ἀλλ' ὄπι-
τεῖκορτες ἢ ἀυξορτες τὸ πᾶσι, interprete *Niceta*; non leuantes inopiam egentium, sed vltro augentes, varieque suum lucrum ex alieno incommodo captantes: superstitione autem iniecta exterruit *Aspendios* olim frumentarios *Apollonius Tyaneus* apud *Philostratum*. Ple-
rumque interim tam infamis auaritia non nisi malo domatur. Cum autem in magna coëmendi libertate, & obuiis rerum honestarum titulis, quibus suam quisque auaritiam præscribit, non adeo promptum sit decernere, qui dardanariorum inuidioso nomine infamari debeant: optimum fuerit, in annonæ caritate, mandare singulis annona abundantibus, vt moderato & tolerabili pretio vendant; & aspernantes, eoque ipso suum crimen prodentes multa cogere. Ita enim spongas humentes recte exprimi dixeris. Non iniquum hoc esse exemplis & rationibus probat *Natalis Comes* sine libri vicesimi *Historiarum sui temporis*. Atque hæc quidem inter eiusdem ciuitatis ciues, & vni imperio parentes homines facilius fieri possunt. Sed vbi vicina circum loca alia ditione tenentur, ægre res expeditur. Licet id cernere in *annonæ caritate extrema*, & qua maiorem totâ *Europâ* nunquam fuisse constabat, anno 1315. Tum enim in multis *Brabantia* locis granaria erant plena, sed ad loca maritima, vbi maior erat caristia, portabantur. sicut ex *Diueo* & *Hocsemio* memorat *Hareus*.

In laud. Basil.
 orat. 20. tom. I.
 edit. Paris. pag.
 341.
 Lib. 3. c. 6.

In commentis.
 p. 778.

lib. I. c. II. & 12.

Tom. I. p. 305.

Lib. 100. p. 129

Hinc demensum cuique suum in diem attribui, non veteris tantum solertia est, sed recentioris etiam consuetudinis. Anno 1591. (referente *Hareo*) in *Italia*, & maxime *Roma*, eousque fames panisque inopia creuerat, vt *Iudæis*, meretricibus, exteris multis, & inutilibus eiectis, sedecim vnciæ panis in singula capita distribuerentur, tandem octo tantum. Quod antequam iussu Pontificis promulgaretur, ablata sunt populo arma: non enim illud citra tumultum fieri posse putabatur. De eodem anno, eademque calamitate, paulo aliter *Thuanus*, nouendecim vncias panis, dein cum classis in *Siciliam* frumento aduehendo missa nondum compareret, tantum decem dietim in singula capita admetiendo distributas esse. Addit: In *Veneta* ditione prudentia *Senatus* prospectum, vt quamquam in summa annonæ angustia plebs subleuata fuerit.

D

fuerit.

Lib. 20. hystor.
extr.

fuert. Sed & anno superioris sæculi sexagesimo nono Senatus Venetus (referam verba Natalis Comitit) ad omnia remedia diligentissime confugit, vt qui semper optime de plebe mereri studuit; iubet artifices ordinarios panis conficiendi facere pro viribus: dat frumenta ex horreis publicis: quæ, quoniam non apparebant, tanta penuriæ posse facere satis, addita est tertia pars venalis panis miliacea. diuenditus est panis nauticus alioquin in vsus classium reseruatus: promissa publice per præconem ingentia præmia frumentum ab exteris regionibus in urbem importantibus. nullum genus humanitatis, charitatis, misericordiæ prætermissum est à Patribus, pauperibus quoquo modo subleuandis. Concessa est facultas cuique conficiendi panis venalis. Sed quid non excogitat auaritia? cum farinae publicæ certum moderatumq; pretium esset statutum, præfecti rei farinariæ amicis tantum quibusdam suis vendebant, vt postea pane carius diuendito fierent lucri participes. Sed & diuites alii, occultato frumento, panem confectum, quasi Lonico aduetum (cum tamen in ponte Riui Alti adhuc calens à furno exponeretur) magno pretio vendebant. Insignis quoque & prouidentia in conuehendo vndique frumento, & humanitatis ac beneficentiæ in pascendis aduenis, peregrinisque concurrentibus in urbem, exemplum de Florentinis narrat Leonardus Aretinus. vbi & inter multa tenuioribus indulta, lex lata est: ne quis, nisi certa forma de ære alieno conueniri posset. Satis enim premi caritate ipsa multitudinem existimauit ciuitas.

Hystor. Florent.
lib. 7. p. 147.

Interdū in partem subsidii, quando prudentia & industria togata, cuius hoc proprium munus est, non potest, quo vult, pertingere, fortioribus consiliis & manu defendendis locus est. Ita Veneti, cum sæculo post natum Christum tertio decimo, Ducis locum tenente Laurentio Theupolo, frustra finitimas ciuitates, per memoriam acceptorū beneficiorum, & communis humanitatis genium obtestati essent, vt frumentatione concessa, penuriæ urbis subuenirent: indignitate rei commoti legem tulerunt: vt omnes, qui intra Fanaticum sinum & Padi fluminis ostia negotiandi causa vltro citroque nauigarent, vectigal Reipublicæ penderent; ad quod persoluendum, & ad mercem ipsam æstimandam Venetias accederent. Quæ lex, vt staret, armis aduersum oblucentes tuenda fuit. Auctor Petrus Iustinianus.

Hystor. Venet.
lib. 3.

De legibus ad leniendam incipientem aut præuisam annonæ caritatem latis ferendisque, quibus colligendæ dispensandæque annonæ rationes describi, luxuriæ omni obex poni, conuiuia prohiberi

beri solent possuntque, nolumus sermonem ordiri. In ipsa fame, ingeniosa plerumque est necessitas: sicut ostendunt, quæ attulimus. Summam exhibent etiam *Capitula Caroli & Ludouici Imperatorum duobus titulis libri primi.* Prior lex est: *De hoc si euenerit fames, clades, pestilentia, & inæqualitas aëris, vel alia qualiscunque tribulatio, ut non expectetur edictum nostrum, sed statim deprecetur Dei misericordia. Et in presenti anno de famis inopia, ut suos quisque adiuuet, prout potest, & suam annonam non nimis care vendat; & ne foris imperium nostrum vendatur aliquid alimonia.* Altera lex hanc prouisionem continet: *Tit. 118. Considerauimus itaque, quia per plurima loca fames valida esse videtur, ut omnes Episcopi, Abbates, Abbatissa, Optimates, & Comites, seu Domestici, & cuncti fideles, qui beneficia, regalia, tam de rebus ecclesiasticis, quam que & de reliquis habere videntur, vnusquisque suo beneficio suam familiam nutrire faciat, & de sua proprietate propriam familiam nutriat. Et si Deo donante super se & super familia sua, aut in beneficio, aut in alode annonam habuerit, & venum dare voluerit, non carius vendat, nisi modium de auena denar. II. modium de hordeo contra denar. III. modium vnum de figele (secale, sigala, Gloss. Roggo) contra denar. IIII. modium vnum de frumento parato contra denarios VI. Et ipse modius sit, quem omnibus habere constitutum est: & vnusquisque habeat æquam mensuram, & æquales modios. Sæpe coniunguntur cum nominibus memoratis Domestici: qui villis fiscalibus & fundis dominicis præfuisse, & omnes redditus curasse videntur: notante Bignonio. *ad form. Marc. lib. 2. p.* Præcesserat autem hanc legem alia, de emptione tempore messis, causa cupiditatis & turpis lucri, prohibita.*

Ceterum remedia leuandæ annonæ, & inopiæ supplendæ, cum cura annotarunt ad Tacitum, & Amratius longa dissertatione, quam supra laudauimus; & qui non consiliator modo prudens rebus arctis, sed industrius auxiliator præfuit, Vir omnigena laude Principi ac ciuibus suis diu salutaris CHRISTOPHORVS FORSTNERVS Cancellarius Montisbeliardensis. cuius vere Tacito dignæ *ad 12 A. Tacit. cap. 43.* Notæ, grauitate iudicii, experientia obseruationis, libertate prudenti, & singulari quodam genio disciplinæ ciuilis, longe lateque præcellunt.

Vt autem optimis Principibus, & procurasse & subleuasse annonam, inter præcipua curarum fuit: ita Caligula tyrannico facinore nonnunquam præclusis horreis populo famem indixit, apud Sueton. *cap. 26.*

Corollarii loco examinanda hæc

adiicimus :

Legis Regiæ nomen sero, res sub Augusto cæpit. Lex Augusta non recte diceretur. Dio lib. 53 non de privilegio tantum Augusto, quod nonnulli vocant, seu soluta legibus civilibus potestate, sed de ἀὐτοκρατορία siue potestate ἀὐτοκρατορικῆ, omnia iura maiestatis complexâ, agit. Legis Regiæ formula de Imperio Vespasiani, genuina est. Eâ opus fuit, finita Cesarum domo. Mentio Caligulae & Neronis, qui ut tyranni occiderant, cur non facta sit, non obscurum est. Galba, Othonis, Vitellii rebellione incertum & vagum fuit imperium. Id ἀναξίας tempus. Instaurato ergo imperio Cesareo Monarchico, formulam legis regiæ concipi, summa ratio fuit, ut dictum est. Qui putant primos Cesares, inde ab Augusto, non habuisse ius regium, siue omnia iura maiestatis, ut vocant, illi nihil in antiqua Historia intelligunt; & simulacra ac inania rerum à vero iure nequeunt discernere, id est, sunt τῆς πολιτικῆς πραγματείας ἀπειροί. Capitulatio Cesareæ hodie κατὰ χριστιανῶς vocatur Lex Regiæ. Legem Regiam Romanorum nec abrogatam esse, neque abrogari potuisse, & adhuc obtinere, qui dicunt, partim nihil ad id, quod volunt, dicunt; partim omnis historia & politices aut ignorationem aut dissimulationem produnt.

F I N I S.

